



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, In Dominicas Anni Totius  
Meditationes

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 9006643X**

Feria III. Dominicæ Paschatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45459**

## Feria III. Dominicæ

Paschatis.

## 1. Pax vobis nolite timere.

Q Jucundam salutationem, & nonnisi post Christi Resurrectionem optime usurpamus! Ubi pax, ibi Deus. Unde quando Christus pacem dat discipulis, Deum ad illos inducit, illos filios Dei facit; juxta illud; Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Vides quanta conferat bona Christus, pacem conferens. Unde sequitur; Nolite timere. Quid enim timeam, cum pacem habeam, cum pace Deum, cum Deo hereditatem caelestem & omnia? O pax quæ tantum omnium immortalium hominum recuperas, quando te potiar? mi Christe affer mihi pacem ad me semper, quoties te in Sanctissimo Sacramento percipio.

## 2. Pax vobis.

Q Christi discipulis, non vobis discoli & impii, Non est pax impiis, dicit Dominus. Apud illos justos pax vera; juxta illud: Qui posuit vias tuas pacem, & adipe frumenti satiat te: fundamentum est vita justa, adeps ejus pax. Justi pacem satiantur, quia fruuntur. Unde & Isaias; Replebit, inquit, populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculo fiduciæ, in requie opulenta. At pax impiorum, non pax; quia non pulchra, quia sine fiducia, quia non opulenta.

## 3. Videte manus meas &amp; pedes meos.

Q Uia ego ipse sum; palpate & videte. En veritas resurrectionis Christi, En efficax discipulorum in fide de hoc articulo confirmatio. En molesta infidelitatis eorundem accusatio!

Feria



tio! En liberalis ad Divinitatis thesauros tractandos, habendosque invitatio! O Beatam animam, quæ à Christo ad hos misericordiæ fontes invitatur! Et quoties ego invidor abs te, ô Bone JESU, administro Sacramenta vel percipio, præsertim Eucharistiæ, quid aliud mihi loqueris, quàm istud; Vide manus pedesque meos, quia ego sum; vide & palpa. O dignitas Sacerdotum, scilicet, Sacramenta usurpantium! Attende etiam quod Christus discipulorum fidem per omnes corporis sensus stabiliverit. Videri se jussit? en oculos visumque firmat: Loquitur illis amabiliter? en auditum: Comedit coram illis, extra corporis glorificati necessitatem? en gustum. Palpari se tangique imperat? en tactum: Odore corporis sui gloriosi eos recreat? en odoratum. Quis jam de resurrectione dubitandi locus? Verè aperuisti discipulis tuis sensum Domine JESU, aperi & nobis, ut efficaciter credamus, nos etiam olim resurrecturos, sicut Te credimus resurrexisse.

## DOMINICA I.

Post Pascha.

1. *Stetit JESUS in medio Discipulorum.*  
Joan. 20.

**C**onsidera, quàm frequenter JESUS tui causâ consistat in medio Discipulorum ad vocem Sacerdotis, januis clausis, invisibiliter, Pane in suum corpus mutato consistit illicò in medio altaris, in medio plebis suæ. Mirare tantam Deitui dignationem; judica te illâ indignum; gratias Deo age; gaude de tam bono Domino tuo, tam ama-

g. DRUCK:  
bicki  
oper: ascel  
Tomus III  
N: V  
58